

Ad haec autem solennitates formam testamentorum veterem repraesentantes, primum refero, quod omne testamentum fieri debeat coram septem testibus. Atque huius septenarii numeri origo non tam immediate ex veteri in comitiis testandi ritu, quam potius ex testamentis per aes et libram, repetenda videtur, nam et haec formam quandam atque imaginem habebant antiquissimorum istorum testamentorum in comitiis. In testamentis enim per aes et libram duae res agebantur, familiae mancipatio, et testamenti nuncupatio, *ULPIANO* teste *Frag. XX. 9.* Mancipanda primum erat familia, quia per imaginariam venditionem, et actum inter viuos hereditatem transferre volebant Romani, in cuius rei causas inquit *B. THOMASIVS dissert. de sensu legis Decemviralis testamentariae §. 10.* Quia vero in familia et rerum vniuersitate essent quoque res mancipi, harum autem plenum et Quiritarium dominium siue solemni mancipatione transferri non posset, inde erat, quod hereditas quoque in testamentis non per nudam venditionem aut simplicem traditionem, sed per imaginariam mancipationem esset transferenda. Fieri autem haec familiae mancipatio aliter non poterat, quam adhibito libripente et familiae emtore. Familiae emtor adhibendus erat, vt repraesentaret heredem, in quem familia esset transferenda, vtvt occultum et in tabulis cerisue scriptum. Libripens, qui stateram aeneam tenebat, necessarius erat, quia hic in omnibus imaginariis venditionibus et mancipationibus Interuenire solebat apud Romanos, vid. *CAIUS Inst. L. I. Tit. VI. §. 3.* it. *PLINIVS Lib. XXXIII. Cap. 3.* vt et in hoc antiquissimum vendendi ritum imitarentur. Veteres enim temporibus